

Bibliothèque numérique

medic@

**ABERCROMBY, David. De variatione
ac varietate pulsus observationes**

Londres : Samuel Smith, 1685.



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)
Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/hist/med/medica/cote?90958x254x01>

1.
Davidis Abercrombii,

M. D.

De Variatione, ac Varietate

P U L S U S
O B S E R V A T I O N E S.

Accessit ejusdem Authoris

N O V A M E D I C I N Æ

Tum Speculativæ,

Tum Practicæ Clavis.

S I V E A R S

Explorandi Medicas Plantarum,
ac Corporum quorumcumque
Facultates ex Solo Sapore.

L O N D I N I :

Impensis *Samuelis Smith*, ad insigni-
Principis in Cœmiterio Divi Pauli.
M D C L X X V.



Honoratissimo
Ac Nobilissimo Domino,
D. ROBERTO BOYLEO,
Scientiarum utilium propagatori,
Atque Auctori Magno.

PAtere, *vir Nobilissime,* ut geminus hic studii, experientiaque meæ foetus, quam à Parente suo nequit, à celeberrimi nominis tui splendore, lucem trahat.

A 2 hat.

hat. Quod cum dico
non tam B O Y L I A N Æ
gentis, tribusque tuæ,
notam ubique Nobi-
litem indico, nam,

*Et genus & proavos, & quæ
non fecimus ipsi*

Vix ea nostra puto,-----

Quam partam tot in-
terituris nunquam in-
genii tui monumentis
apud Britannos, exte-
rosque jampridem fa-
mam. Quicquid igitur
clari adeo nominis sub
auspiciis in lucem
pro-

prodierit, nescio quo
curiositatis stimulo
speque operæpretii
homines irritaturum
est, quasi nihil nisi
magnum, limatum,
omnibusque numeris
absolutum tanto phi-
losopho offerri posset,
aut deberet: quam-
vis autem futurum
non putem, ut eorum
quos ejuscemodi quæ-
piam ratio ad gemini
hujus opusculi inspe-
ctionem allicuerit, ex-
A 3 pecta-

pectationi fiat satis,
illud tamen asserere
ausim harum quarum-
cumque schedarum
lectionem Ipfis non
fore prorsus inutilem,
vel hoc nomine quod
non vanis, vagisque
ratiociniis, sed sensu-
um præcipuè, raro fal-
lentium testimoniis
innitantur: postero-
ris enim tractatuli ut
Gustus extitit parens, i-
ta ejusdem futurus est
& patronus & judex;
Qui

Qui quidem quantumvis mancus, muti-
lusque videatur, com-
pendiosioris certe *Bo-
tanicae* non contemnen-
dum forte rudimen-
tum fuerit. Quod ad
tractatulum priorem
attinet, quem exerci-
tus in nosocomiis fre-
quenter circa ægros,
sanosque etiam per-
sæpe *tactus* Genuit.
Pauca quidem hoc ip-
so super argumento
jampridem scripsi, qui-
bus

A 4 bus

bus foelicius meritis
fatum obtigit : hæc
jam istis adjicio & no-
va, & prioribus ob re-
petita identidem ex-
perimenta longe cer-
tiora. Cæterum qua-
liacumque demum
hæc opuscula fuerint,
gemina hæc tibi ceu
munuscula offerenda
putavi, quod ea non
ex intrinseco ipsis pre-
tium, quod sanè per-
quam exiguum esse
non diffiteor, sed ex
offe-

offerentis animo æsti-
maturum te probe
norim. At ne rebus te
novis in reipublicæ
litterariæ emolumen-
tum semper intentum
diutius interpellem,
pretiosissimi tibi tem-
poris dispendio mo-
lestiam pluribus non
creabo, tui interim non
verbo tenus, sed reip-
sa

Observantissimus,

D. A.

Author Lectori.

Benevole Lector,

AN quod omnium pene sermone de Medicis Sinensibus percrebuit, qui præterita etiam morbi cujuscumque symptomatica ex venæ micatione discernunt, vero necne conforme sit, dubius omnino hæreo: certum tamen mihi exploratumque est præsentem ægri penitus nosse statum adeo peculiare Medici esse munus, ut qui hac imbutus Scientia non fuerit, Empyricis, non Medicis merito annumerandus sit. Quot tamen artis etiam Apollineæ professores

Author Lectori.

seffores reperias, qui pulsum ex consuetudine cum ægros invisunt, non ex arte, sed comicè attrectent: qui quidem fortuitò plurima omnem in eventum periculi interim omnis securi, quia prorsus nesciū summo ægrotantium damno præscribere solent: Certà igitur pulsus seu præcipuarum venæ micationum notitia his omnibus obviam itur incommodis: hanc enim qui sibi comparaverit, apta, opportunaque fere semper, extremaque tantum in extremis certo pulsus motu indicatis ministrabit, omnemque ægroti in pejus, meliusve mutationem lynceus observabit, unde aut quæ nutantem naturam confirmant, aut quæ superantem, jam morbum ad ulteriorem,

Author Lectori.

orem, integramque demum victo-
riam juvent, tempestivè, atque
opportunè præscribere poterit.
Quia autem hæc nemo probè norit
qui tum Variationem, tum Vari-
etatem pulsuum, non intellexerit ;
meas de utrâque Observaciones
variis factas in nosocomiis
Paucis hic tibi Proposui : que
quam minimè à vero devie sint,
ut me aliquot annorum Ex-
perientia docuit, te quoque ut spe-
ro, si tamen tactu, aut facultate
potius diversam tactûs, à pulsu,
affectionem discernendi polleas, tua
quoque ipsius, confido, docebit,
vale itaque atque alino non ingra-
tus labore fruiere.

DE



D E
Variatione & Varietate
Pulsûs
OBSERVATIONES.

Pars Prior
De Variatione Pulsûs.

SECT. I.

*Pulsûs quid? Quæ præcipuè ejus
Variationem inducant.*

N*lli fontibus meo quidem Judi-
cio obscurior pulsûs origo est :
sive enim ad qualitatem quamdam
pulsificam ut Aristotelici ad occultas so-
lent,*

lent, confugerimus, five innatum arteriis, musculisque, aut à Spiritibus minusque otiosis sanguinis particulis impressum iisdem motum qui pulsus dicitur, finxerimus, vix quidquam tamen adduxerimus in medium quod illustriorem aliquam veri speciem præse ferat : quamvis, cum hinc ingenitus quidam arteriis, musculisque emissio omni sanguine motus ipsius experientia testimonio in animali mortuo sæpe comprobetur, inde verò subtiliorum agitatio Spirituum quibus obvia, ac sponte præsertim mota faciliùs moveantur, satis superque elucescat, nihil me nimium verò absimile dicturum putem si *pulsus* ex Spirituum, arteriarum, ac musculorum conjunctim motu proficisci dixerò non tam eo consilio ut veritatem attigisse, videri velim, quam ne tantam difficultatem, silentio penitus præteriisse videar. Quare suam unicuique adeo densis in tenebris mentem lubens permitto, atque ut nullius hæc super re in verba Magistri Juro,

Juro, ita meis nemo, si ratione nolit, per me licet, fidem verbis habeat. Quo circa cum fluctuet animus, dubiusque hæream, quid de obscurâ *pulsus* origine conformiùs rationi sentire oporteat, utiliora longe hac speculatione quam sælicioribus ingeniis relinquo, certioraque proponam cum non vanis ea conjecturis, sed certissimis sensuum rarò fallentium testimoniis innitantur. Quemadmodum igitur quid reipsâ fortuna sit licet vix explicare possimus, instabiles tamen ejusdem vices, inconstantiamque quotidianâ pene experientiâ sentimus, ita prorsus quamvis *Pulsus* originem explorare intimè nequeamus, ejusdem in momenta mutationem, variationemque, nisi tangendi facultate destituti fuerimus, nescire non possumus. Quæ quidem consideratio magni omnino momenti est cum hinc certiùs quam ex quovis exteriori phænomeno non corporis modò habitus, sive laudabilis fuerit, sive sæcus, dignosci queat, sed etiam

etiam quos in *Microcosmo* tumultus externa quam plurima, quæ *pulsus* variant, cire queant: *Pulsus* autem *Variationem* nisi quandoque insigniorem ii tantum facile perceperint, qui repetitis sæpe vicibus, atque quotidiano pene aliquot annorum exercitio *tactum*, tum ad suum, tum ad alienum etiam *pulsus* non indiligenter erudierint. Id autem à me cum impigrè peculiari semper studio factitatum fuerit, ex *Pulsu*, signis vix fallentibus, tum ad corporis, tum ad animi temperamentum spectantia plura quædam colligere soleo quam hîc referre expediat, aut etiam liceat, quod ea maximè è quibusdam arteriarum undulationibus pendeant, quibus ita ut intelligantur explicandis nulla sat apta hætenus vocabula adinventata sunt. Ut igitur *Pulsus* *Variationem* prius, quam natam hinc *Varietatem* exponamus: illam hæc, multaque adhuc forsitan alia certissimè inducunt, *Clima*, *Tempus*, *Temperamentum*, *Ætas*, *Diæta*, *Passio*,
Morbis:

terrâ, emissis quibus variè afficiantur vaporibus, quod à celeberrimo Boylio alicubi observatum est ac probatum : cum itaque alibi Cœlum obnubilum, pluvium, densumque sit, serenum alibi, solum, tenueque fere semper, ac solum pariter ipsum varium maximè esse constet, paludosum Scilicet, nemorosum, aquaticum, fossilibusque omnis generis imprægnatum, fieri nequit ut non plurimæ, variorumque omnino hinc existant corporum nostrorum affectiones, quas ex Pulsu graviore, pleniore, remissiore, acutiore, subsultante, magisque vel minus intermittente peritior quis facile dignoscat : Vel enim extimas corporis partes corpuscula sive è Cœlis prolapsa, ventove advecta, sive è terris erumpentia arctius premunt, vel patefacto sibi per cutis poros aditu intima Microcosmi adyta pervadunt : utrovis autem modo res contingat, necesse est, vel me tacente, ut intestini Microcosmi motus aut partium compressione,

sione, aut irritatione tardiores, vel velociores fiant, aut forte etiam, ut quandoque contingit, omnino supprimantur. Ex his peculiare observatorum à me rationes, causasque pro captu quisque suo deducere poterit: atque ut quid potissimum in Cælo Gallico, Attico etiam suaviore observarim, paucis primùm exponam. Hominum illic Pulsus integrâ valetudine, de quo tantum statu intelligendi adhuc sumus, longe æquabiliores, quam reliquis in Europæ partibus quas quidem peragere mihi licuit, comperi, celerior licet ibi quam alibi, ut & liberior articularum pulsatio, de indigenis loquor, esse soleat: qui tamen nemora, Loca paludibus insita, vel obsita aut metallicis fodinis superimposita colunt, his ut sæpenumerò animadverti obtusus, aut quasi consopitus etiam in Gallia Pulsus est: quem acuunt *Burgundis*, quos inter quadrienium non otiosus vixi, generosissima, quæ non procul ab urbe *Belnsi* crescunt vina, mitigant

verò Campaniæ Incolis Rhemensia longe mitiora, communemque aptiora in usum. Germanis, porro, Belgisque, generatim loquor, necnon Anglis, Scotisque incertus admodum est *Pulsus* ob liberaliorem, aut illiberaliorem potius potum, nimiumque carniū esum, ob nimiam quandoque venerem otiumque, vitam denique, ut verbo dicam fere exlegem, ex quâ Scorbutici hîc plerique, Hydropici, Ictericî, Apoplectrici non pauci, Hecticique quam Plurimi: sed ut peculiaris quiddam adhuc superaddam, profundus quantum ego quidem animadvertere potui, & quasi ebriorum more, nutans titubansque *Pulsus* in Germanis, in Belgis languidior, in Anglis, Scotisque præsertim plenior, acutiorque observatur: quamvis ob rationes forte superius allatas in eodem hi populi statu, *exceptis excipiendis*, vix unquam Diu perseverent. Cæterum quovis sub Cœlo aliter iis vena micat, qui montium juga, aliter iis qui aperta
inco-

incolunt æquora, aut subjectas montibus valles, aut loca etiam nemorosa: his enim qui altiùs habitant, solique propiores, pernitiùs movetur Pulsus quam humilium plagarum incolis, in quibus fere semper diastolem systole comperi pigriorem.

SECT. III.

Tempus.

IPsa Temporum Variatione Variari quoque Pulsus micationem ii omnes qui pulsum aliquando, aut suum, aut alienum curiosiùs attrectarint, probè norunt: pluvio enim tempore, teste experièntiâ, liberiùs fere micat quod tum forte extimas corporis partes incumbentis atmosphæræ pondus non tantum premat, quippe quæ vaporum jam e nubibus resolutorum lapsu levior evadat, ut ex Mercurii in Barometris descensu liquidò liquet:

B 3 quam-

quamdiu autem sereniore jam Cælo
suspensæ manent exhalationes, vapo-
resque, premuntur quamvis pressio-
nis sensum ipsa consuetudo tollat, aeris
undique incumbentis pondere corpo-
ra nostra, quorum proinde partes, ner-
vi, puta, & Arteriæ, Musculi, &c. Sui
quadam contractione seu systole ex-
cludunt à se copiosum humorem qui
variis modis, viisque à corpore secer-
natur: unde liberior, æquabilior, ac
quasi hilarior, Musculorum, Arteria-
rumque micatio existat. Porro *cæte-
ris paribus* omnibus firma valetudine
gaudentibus turbatiùs micat Pulsus
vere, quam æstate, quod tum tempo-
ris ipsam ubique naturam fermentatio
quædam exagitet; quâ fit ut quidam
in omni vitâ prædito succi alimentitii
commotione tumultus contingat. Per
æstatem verò præsertim calidiorem,
languidiorem in plerisque Arteriarum
esse motum constat, quem & in mul-
tis etiam valentioribus, aut exilem
admodum, aut vix nisi à motu, potu-
ve

ve vini generosioris perceperis : iis tamen in regionibus in quibus sedatior æstus est, robustiore plerumque Pulsus motu tactui etiam minus erudito æstivo tempore sese oggerit : qui deliquitum in plerisque sub autumnum pati videtur, quod forte insiti Arteriis motus adjuutores animales spiritus phæbi jam recessu, pristino destituantur vigore, quem mox ingruente hiemis frigore resumunt : arctiore enim jam pororum obstructione, quæ prius iis patentioribus quasi spirabant, cientia calorem corpuscula violentiùs minore jam intus in spatio, & se & Arterias movent : sed neque tantum diversæ anni tempestates diversitatem Pulsus efficiunt : quâvis enim diei horâ si accuratiùs quis observare voluerit, non levem ejusdem mutationem perceperit : has autem præcipuè variationes ipse notavi quas fere easdem quotidianâ quisque experientiâ probare poterit. Statim à somno quietiore, æquabili plerumque micatione

temperatum diffuso per corpus sero,
 sanguinis Spirituumque ardorem indi-
 ciiis haud obscuris Pulsus indicat: à som-
 no turbatiore turbatior quoque est,
 tenuior tamen & acutior solito: turba-
 tio quidem ab impeditâ, obstructione
 quâpiam sanguinis circulatione, tenui-
 tas verò ab ipsâ spirituum quasi à vi-
 gilâ debilitate oritur: quocirca ple-
 nior à spiritibus Arteriisque conjun-
 ctim motus expectandus non est: varii
 pariter corporis reliquum per diem
 tum situs, tum motus, passionesque, ut
 suo loco dicemus, quiesque ipsa variè
 Pulsus immutant; equitatio præser-
 tim, celerem sed inæqualem ac quasi
 quadrupedantem Pulsus motum
 gignit: modica interdum deambulatio
 vel repetito aliquoties per cubiculum
 ita redituque ad liberiores spirituum
 atque Arteriarum motum plurimum
 conferet: quem & impeditum sæpe nu-
 merò extricavit. Si quis pluribus per
 diem & arduis intentus negotiis fuerit,
 debilem, fluctuantem, incertam, si
 præ-

præsertim incœnatus concesserit cubitum, *micationem* sentiet.

SECT. IV.

Temperamentum.

CUM *Temperamentum* ex vario partium corporis situ, connexionequæ inter se oriatur, variam inde enasci Pulsus *micationem* necesse est: hanc enim corpusculorum copora nostra constituentium connexionem non aliunde proficisci putem, quam à spirituum animalium, innatoque musculorum, atque arteriarum fibris contractionis, ac dilatationis motu; pro cuius majore, aut minore velocitate, ut arctior, aut solutior machinæ corporeæ compages est, ita majore, minoreque celeritate sese exserunt, micantque Arteriæ. Quam varium itaque futurum temperamentum est, tam varium quoque *Pulsus* agnoscamus oportet: in
nemine

nemine autem inconstantiorum ejusdem micationem offendes quam in iis qui omnium hominum constantissimi perhibentur, in iis inquam quos ab atra bile *Melancholicos* homines vulgò dicunt: interdum enim omnes eos Pulsu prorsus destitutos crederes quod exigua adeo sit, profunda que intus venarum micatio ut vix aut ne vix quidem sentiri possit. Quæ tamen interdum frequenti adeo, violentoque sese motu prodit, ut jam vehementissimo febris paroxysmo corripere eos existimares, aliàs tamen tam quietam, tranquillamque est ut ejusmodi homines temperamentum ad pondus nactos putares: fluctuat denique his interdum Pulsus, non rarò serpit, atque in gyrum etiam, quod mirè quandoque agitur: quæ inde omnia oriri fortè non nimium absimiliter verò dixerimus, quod innumeris ejusmodi homines, seriisque speculationibus, varios spirituum, Musculorum, Arteriarum, Venarumque motus inducant: dum

dum enim rebus ab humanis quasi abstracti, reductique in seiplos altiori sese tradunt speculationi, tanta subtilium, atque ignearum corporis partium exspiratio fit, ut *Pulsus* spirituum jam adminiculo pene destitutus quodammodo sepultus videatur, qui exferit sese rursus ac reviviscit ubi reportatâ jam de difficultate quæ meditationis argumentum fuerat, veluti victoriâ animus ad se successu lætus redierit. Fluctuationem verò ac circulationem ipsa rerum difficilium atque incertarum speculatio gignit. Jam in quibus bilis principatum obtinuit, his elatus plerumque *Pulsus* accidit quod innatus, Musculis, Arteriisque motus ardentiorum in hoc *Temperamento* spirituum impetu plurimum augeatur: quoties tamen nimius æstatis ingruit æstus, *Pulsus* in his sine viribus, evanescere solet: Patefactis enim *ambientis* calore poris, subtiliores, agilioresque qui intus in virium supplementum ultro citroque commeant
spiritus,

spiritus, continuò erumpunt, ac continuè, donec tota Microcosmi Machina præ languore ac debilitate diffluere videatur: Porro sanguineis æquabiliùs, quam reliquis hominum vena micat, quia majore in his spirituum copiâ contingit ut viæ minus obstruantur, rariùsque proinde motus, aut interruptus quiescat, aut imminutus, pigrior percipiatur: Plena itaque, liberaque fere semper *Temperamento Sanguineo* diastole est, atque æqualibus fere temporum spatiis diastoles, systolesque reciprocatio. Phlegmaticos denique ex Pulsu semper tardiore licet sit æquali dignosces, quem tamen in Scorbuticis, atque hystericis cujuscunque temperamenti varium ac mutabilem in momenta comperies.

SECT.

SECT. V.

Ætas.

UT ipsum partium corpus humanum conflantium immutat contextum ætas, ita omnes earundem motus, Musculorum præsertim, Arteriarum, Venarumque, quemadmodum omnes norunt, maximè varios efficit : Pulsionibus itaque, infantibus, puerisque circiter quadrimis, tenuis plerumque, nec sat interdum obvia tactui etiam exercitato, atque erudito Pulsatio est, non tam ob spirituum inopiam, quam ob copiosioris lymphæ affluxum, quæ subtiliorum, magisque igneorum corpusculorum liber commeatus prohibetur; unde fit ut ingenitus Musculis Arteriisque motus non parum immi- nuatur: obtusi enim atque hebetati quia copiosiore lymphâ diluti spiritus Solitum *fbris* impulsu imprimere neque-

nequeunt. Jam verò ubi majores tempore vires fuerint, discussio superfluo humore aut crebriore exercitio, aut vehementiore nunc corporis calore extricat sese *Pulsus*, Pulsatque tactum etiam hebetem, atque inassuetum ea vi quæ intemperiem quandoque minus expertis febrilem exhibeat. Validior hic *Pulsus* impetus ferius frigidis in regionibus quam in calidis oritur, feriusque desinit; forte quod his in plagis cum *ambientis* calor continuè vehementior nunquam sit, nec crudos in junioribus humores citò digerere, nec innatum provectorum calorem ob poros frigido in climate magis compressos facillè dissipare queat: quocirca calidiorum climatum incolis, sub quadragesimum fere annum Pulsus debilior evadit, qui minùs torridis in regionibus, natis, ac educatis, etiam annum ultra quinquagesimum vegetus percipitur. Cæterum Senum firmâ quamvis valetudine fruentium ut fallax robur, ita fallax omnino incertusque

que Pulsus est, quod à temperamento cuius aeris impressioni facile obnoxio non absimiliter verò oboriri putarim: cum pluribus enim in Galliâ atque alibi senibus, variis temporibus perquam familiariter vixi, quibus vena sereno Cælo segniùs micaret, concitatiùs verò pluvio, at sævientibus vehementiùs ventis trepidaret quodammodo, ac quasi nutaret interdum, à somno autem liberior foret, interdum postea adeo mutabilis ut alia esset lucente sole, alia eodem nubium objectu oculis subtracto diastoles, ac systoles reciprocatio: quia etiam in senè quodam jam morti proximo Pulsum aliquando offendi plenum, vegetum, validoque quod præcipuè, mirabar, ferientem ictu tactum: hanc tamen in hoc *silicernio* micationem, lethalem ut re ipsa fuit, pronunciaui, quod dicto citiùs variationem mox in eadem, *recessum*, *accessumque* subitum, *nutationem*, ac quasi *circulationem* quamdam gnaro horum omnium motuum, atque aliorum quam

quam plurimorum tactu perciperem :
 quamvis itaque seniorum Pulsui non
 nimis, aut non omnino esse fidendum
 quidam inexperti asserant , frequenti
 doctus experiētiā internum eorum
 habitum, statumque, & quibus maxi-
 mē pares remediis vires habeant, quæ-
 que vitæ diuturnioris spes affulgeat,
 indiciis haud obscuris, ac rarò fallenti-
 bus conijcere soleo. Quamvis, cum
 mortis metu mortem accelerandam
 judico, ipsi ægro mentem quandoque
 prudenter dissimulem.

SECT. VI.

Dieta.

Dietâ, seu ipsa victûs ratione va-
 riarî *Pulsus* licet notius sit
 quam ut dici debeat, quia tamen pau-
 ci forte hanc variationem propiùs in-
 spexerunt, paucis eam iis indicabo, qui
 rem minùs considerarunt. Diëtam
 autem

autem quamvis pro tenui tantum victu Medici plerique usurpent, latiore hic sensu fumo prout quamcumque etiam victûs rationem sonat, quo nomine quodcumque pariter corporis exercitium intelligendum venit. Cum itaque voluptas, teste Tullio, alia gutturis, Alia ventris sit, non levis ab utroque hoc fonte Pulsûs variatio existit: ac primò quidem Epicureorum more, qui cibus se, vinoque in dies ingurgitant, ut obtusum his plerumque ingenium, hebetes oculi, pigrumque corpus, ita & venæ micatio hebetior, esse solet; nisi forte ut sæpe contingit illiberalior compotatio nutantem eam, ac quasi ebriam reddiderit: cum enim tres ipsas, aut quatuor etiam horas comestioni, carniûm præsertim, quotidie fere non pauci impendant, donec appetitus non tantum compressus, famelique sedata, sed dum infita Palato gustandi facultas sublata fuerit; Necessè prorsus est, innatum calorem aut penitus extinguere, aut certè eousque
C imminui,

imminui, ut arteriæ jam musculique
movere se eodem, quo prius impetu,
nequeant : unde labefactatis spiritu-
um, arteriarumque viribus, motus qui-
dam veluti vertiginis in pulsu oritur
non multum absimilis trochi, absolu-
tis circulationibus innumeris jam ex-
pirantis, titubationi : quod quidem in
causâ est cur mirum mihi non videat-
ur, si repentinâ interdum ejusmodi
homines morte de medio tollantur,
cum vacillans *Pulsatio* præsens semper
periculum non nisi præsentis remedio
submovendum portendat. Qui con-
trariam omnino vitæ rationem ine-
unt, corpusque aut electione, aut ne-
cessitate emaciant, tenuissimo, lentis-
simoque Pulsûs motu virium deliqui-
um, animique etiam forte propinquum
ostendunt. Fieri enim nequit ut dila-
tationis, contractionisque in musculis
motus validior sit, ubi solito diu sup-
plemento musculi caruerint. Qui
autem naturam neque cibus, neque
potu, neque somno obruunt, nec ni-
miis

niis jejuniis, vigiliisque debilitant; sed *auream* diligunt, servantque in omnibus vitæ muniis *Mediocris*, hos æquabilis venarum micatio omnis securus casus facit. Si quæ tamen variatio contigerit, hæc fere oritur, vel a violentiore quopiam exercitio, ut equitatione, cursu, speculatione, &c. vel a subitâ temporis mutatione, cui etiam temperatiores quantumvis tranquilli temperamenti obnoxii sunt: sed ut à causâ externâ hæc omnis varietas emanat, ita hæc sublatâ, ipsa quoque definit. Languescentem tamen in his diutius à sumpto cibo, remissumque Pulsum quandoque percipies; quem cave propterea mali ominis existimes: naturæ enim tantum desiderium, non morbum indicat; cum sumpto solitis horis cibo fortiorem Tangenti diastolem mox exhibeat. De iis quæ nullius in voluptatum etiam legitimarum usu *Dietæ* rationem habent, nihil habeo, quod dicam peculiari observatione dignum, ni quod efferatius quamdiu
C 2 vegetæ

vegetæ sunt vires, micent his venæ, quæ, corpore, infami commercio, jam prorsus effœto, reciprocantes *Diaftoles*, *fyftolesque* motus non nisi interruptis temporum intervallis exhibeant.

S E C T. VII.

Passio.

A Nimi Pathemata, seu Passiones variam venæ micationem inducere nemini mirum videri debet ; cum apertis, perspicuisque modis ipsa etiam corpora nostra moveant : quod ex oculorum scintillatione, extinctione, languore, Pallore vultûs, ac rubore, cæterisque efferatis, quos immoderatio animi commotio gignit, motibus sat superque vel me tacente elucescit. Sed ut quid hac super re à me propiùs observatum sit, paucis exponam : tantam sæpenumero animadverti à metu *Pulsûs* mutationem ut jam jam animam

mam eum exhalaturum, quem nimis oppresserat metus, existimarem. Turbata enim primò venæ micatio, mox refuga, tum fluctuans, circumacta deinde, ac denique pene nulla præ tenuitate videbatur: quod scilicet refluxo ad cor nimiam copiâ sanguine, & ipsum opprimeretur, & Musculi, Arteriæ, venæque auxiliaribus spirituum ad motum copiis destituerentur. E contra ubi commotis subito fibris præcordia exultant, seu quoties nimia Musculorum, Arteriarumque relaxatio nimio ex Gaudio contingit, Plenus adeo, frequensque ferit tactum Pulsus, ut quia violentus nimium, ni quantocyus sedetur, vehementiorem in momenta cordis palpitationem indicis haud obscuris, mortemque interdum ipsam in viciniâ indicet, cum non semel dilatatis nimium nimio Gaudio fibris, ipsa spirituum dissipatio homines de medio sustulerit. Ope-rosi opus laboris foret speciatim exponere, quid reliquæ in *Venæ micationem*

passiones queant, cum suâ quisq; experi-
entiâ discere id, ac docere possit : quem
enim graviores adeo occupatum cu-
ræ tenent, ut insomnes etiam noctes
sæpe invitus traducat, debilem is sen-
tit, atque inæqualem venæ micatio-
nem, quod *Labor actus in orbem*, cogi-
tationumque in momenta recurren-
tium quasi turmæ, auxiliares, de qui-
bus mox, spirituum copias, aut oppri-
mant, aut aliò, ad caput puta, cerebrum-
que ab extremis, Mediisque Microcos-
mi plagis avocent. Consopitum pa-
riter tenet diuturnior animi mœror
Pulsus, adeo ut hoc eum, aut non
absimili morbo laborare tutò pronun-
tiare possis, cui viribus cæteroquin
firmis, valetudineque reipsâ, atque in
speciem integrâ vena micat profundi-
ùs, Tenuique, sed frequenti, atque
acutâ quodammodo diastole tactum
ferit : sed nihil magis immutat *Pulsûs
micationem*, quam vehementior iræ im-
petus : Quasi enim unâ *Erusque, no-
tusque ruerent, creberque procellis Afri-
cus,*

cus, ingentes humano in corpore humorum veluti fluctus tollit: unde non vultûs modò immutatio, sed & Pulsûs quoque contingit tanta interdum, ut correptum subitâ irâ hominem dirissimis æstuum febrilium paroxysmis conceuti ex Pulsu crederes: qui tamen micationem mox suam remittit, ubi à primo quis iracundiæ impetu respirare nonnihil cœperit, ac tandem denique ipsa cum viribus Pulsatio interdum omnis evanescit, aut certe spirituum agitatorum aufugio, debilis adeo, quem vicit ira, evadit, ut contracto inde morbo in dies postmodum contabescat. Ex quibus omnibus colligere licet, Quia sceminas minùs masculæ virtutis, passiones non in dies modò, sed & in horas, ac momenta etiam pene singula exagitant, nihil instabilius, incertiùsque earum esse Pulsu, utpote quem nunc amor, nunc odium, nunc ira, nunc invidia, modò tristitia, modò Gaudium, fusæ interdum lacrymæ, risus interdum

dum muliebri modo effusus quovis sæpius die immutare soleant : *adeo varium est, ac mutabile semper fœmina.*

SECT. VIII.

Morbis.

OBviam variis in Morbis Pulsûs variationem observare accuratius tanti in re Apollineâ momenti, est, ut ei medico neminem tutò fidere posse putem, qui peculiari hanc studio non didicerit : non paucos tamen inter celebriores etiam reperias, qui ad ægros accersiti, aut Pulsum vix atrectent, aut supinâ Motuum Pulsui peculiarium ignorantia præsentem ægrotantis statum non intelligunt ; de quo tamen, quod inscitix sibi nomen à silentio metuant, sciolorum more audacter pronuncient : quos ut ad hoc, ipsâ impositum ab arte munus aptiores


aptiores reddam, quæ præcipuæ variis in Morbis Pulsuum mutationes contingant, paucis dicam, quamvis suâ quisque experientiâ, melius forte has, quam alienis ex observationibus discere possit. In febribus itaque generatim assero triplicem pro triplici horum morborum quasi ætate contingere variationem: aliter enim micat vena sub Morbi initium, aliter in statu, aliter sub finem: turbatus enim est primùm Pulsus, nec sat extricatus, tum liberior, ac plenus, denique debilior, unâque hac debilitate à saniore Pulsu distinctus: quoties autem ab artuum fremitu, totiusque corporis horrore, seu tremore paroxysmus inchoatur, tenuiter tum vena micat, at celerimè, opprimique quodammodo videtur, quod forte heterogeneæ, quibus fermentatio promovetur, particulæ minùs adhuc perfectè comminutæ, commixtæque sanguini fuerint: ubi enim, sedato post aliquod tempus tremore, solitus succedit æstus, extricator, Pleniorque

Pleniorque percipitur *Micatio*, quam nimius semper diastoles impetus comitatur, nec non inæqualis interdum diastoles, systolesque reciprocatio, si præsertim Scorbutici quidpiam admixtum fuerit. Scorbuticis enim, histericisque incertus adeo, vagusque Pulsus est, ut qui horum morborum indolem minùs noverit, tum sæpe hominem morti proximum judicaturus sit, cum nullum mortis periculum adest. Qui his enim, aliisque id genus, morbis laborant, obstructo interiùs liquoris alimentitii ultro citroque comeatu, deliquium patiuntur interdum, quod patefacto rursus remediis appofitis aditu desinit. Quamvis contingat interdum, ut incertum hoc Pulsus symptoma consecuta subitò mors medicum fallat : quocirca frequenter, sæviente morbo, quovis die Pulsus attentandus est : cujus inæquales per intervalla subsultus ex himiâ eorundem duratione periculo non vacare medicus judicabit : ictericis jam, aquâque

que intercute laborantibus, non ab-
simili plerumque motu venæ micant, in-
tricato Scilicet, impedito, interrupto-
que sæpius ob stagnantes variis in cor-
poris vasis humores : quamvis poste-
riorum, quam priorum peior longe
conditio sit. Contra qui podagrâ la-
borant, libero omnino, expeditoque
Pulsu gaudent, nisi ipsa doloris vehe-
mentia febrilem, ut fit, paroxysmum
induxerit : in his siquidem, qui mus-
culos aliàs, arteriasque irretiret humor,
ad pedes prolabi videtur : unde forte
est, Quod Podagrici cæterorum se-
num more vix unquam delirent, sed
ad extremam usque senectutem libera
discernendi, dijudicandique de rebus fa-
cultate potiantur. De peste affectis
inter quos versatus aliquando sum, ni-
hil meo quidem iudicio certi statui po-
test : quos tamen hac infectos videre
mihi licuit, in his eundem fere, quem
in Asthmate laborantibus, hoc est mi-
rum in modum oppressum semper
Pulsu animadverti, nisi quando ni-
mius

mius dolor insolitum febris ardorem induxerit: sed ut quæcumque variis in Morbis de Pulsuum variatione observata à me diligentius sunt, in pauca contraham: singularium enim casuum infinitus numerus cum sit, eorum omnium enumerationem frustra quis aggrediretur: *Omnis Pulsûs Motus solito Citatior, Occultatio, Circulatio, Recessus, Titubatio, Subsultus, vel Immutatum jam corporis habitum indicant, vel eo, qui mox magis percipiatur, modo, immutandum prædicunt.*

Pars



Pars Posterior

D E

Varietate PULSUS.

SECT. I.

Pulsus æqualis, Pulsus inæqualis.

E Pulsus variatione, de quâ hactenus, Pulsuum varietas nascitur: quotuplici enim modo Pulsus variatur, totuplex omnino assignari Pulsus poterit: ea tamen Pulsuum genera tantum recensebo, quæ frequenti mihi experientiâ distinctiùs observare licuit, quorum

quorum etiam signa, quantum ipso ex eventu assequi potui, prognostica paucis indicabo: ut igitur à notissimâ *Pulsûs* in æqualem, atque inæqualem divisione initium ducamus, Pulsus omnis inæqualis est, & dicitur non is tantùm cujus inæquales sunt *Micationes*, hoc est nunc celeriores, nunc pigriores, sed cujus pariter in tactum peritum impressio nunc debilior, nunc fortior percipitur: utraque inæqualitas à minùs libera sanguinis, quocumq; demum modo res explicetur, circulatione proficiscitur: Priorem quidem posteriore longe minùs periculosam semper comperi: intemperiem enim licet non mediocrem prodat, adesse tamen, quibus superetur, vires ostendit: quapropter quantavis sit per intervalla micationis velocitas, ac quantacumque sit ejusdem per intervalla tarditas, modo interim comitetur æqualitas, nihil est quod desperet medicus, & cum vegetam hinc quamvis oppugnatam validè naturam conjicere possit,

possit, animum non despondeat, sed ea audeat intrepidus præscribere, quæ habitâ tamen omnium adjunctorum ratione virtutis Paulò fortioris sint: quoties autem *Micationis* inæqualitas ejusmodi est, ut nunc Pulsus fortiore feriat ictum tactu, nunc languidiore, eoque, qui vix fere percipi possit: Nihil tum, cæteris paribus, tutum putat: luctatur enim cum hoste natura, periculumque est, ne subito opprimatur: quare omnes ingenii nervos Æsculapii filius contendat ut ea excogitet remedia, quæ paulatim potius, quam uno statim impetu Morbum expugnent: eò enim angustiarum jam ventum est, ut naturæ, nec respirare, nec expirare liberè liceat. Hanc porro *Pulsûs* inæqualitatem, quia etiam ex iis quorum maximè interest, perpauca discernunt, in utramque sæpe aurem stertunt, Dum in omnem rei eventum ipsis invigilandum est, ne æger, præter opinionem medici, ut fit, nec præmonitus animam efflet. Summi itaque momenti

momenti est fortiorem inter, ac languidiorem diaftoles motum discernere, ut & suo fungatur Medicus officio, & moribundus suo, si res forte suas, negotiaque, necdum composuerit: ut enim temerarii, atque ignorantis est apparente nullo certiore mortis indicio mortem cuiquam prædicere, ita ignavus omnino est, nec nimum Christianus qui mortis verosimiliter proximæ præscius morientem non admonet periculi: posterior autem hæc Pulsûs inæqualitas in omnibus fere morbo Chronico laborantibus, aut diuternâ tabe jam pene confectis observatur, in febribus frequenter, ac plerumque ipso ante mortem triduo, quatrduove: Priorem verò in venis *Micationem* omni fere acutiori morbo communem reperies, quæ quanquam præsens periculum nullum arguat, Medico tamen ut negligentius se gerat, occasio esse non debet. *Pulsus enim inæqualiter pernix, sæpe in Pulsum inæqualiter sensu prædicto Pulsantem,*
quem

quem periculosum diximus, degenerat: memini siquidem ab homine jam quadragenario, quem per biennium quartana vexarat, me aliquando esse accersitum, ut meam de eo, in quo tum erat statu, sententiam exquireret: hominem itaque bono animo esse jussi, licet ex inæquali *Micationis* pernitate periculum quidem, sed nondum proximum conjicerem: postero autem die regressus immutatum jam omnino Pulsum offendi, utpote qui, ubi semel fortiore tactum diastole feriisset, quasi jam fatigatus, aut fatiscens penitus, ter continuè, quaterque, debiliter admodum feriret: quod certum nimis mihi indicium mortis proximæ erat: quæ, tertio post die, præter omnium opinionem contigit.

D SECT.

SECT. II.

Pulsus continuus, Pulsus interruptus.

QUamvis omnes Pulsuum divisiones ad distinctionem superius expositam reduci queant, quia tamen summa Pulsus inter inæquales varietas existit, hanc ipsam particulatim exponi necesse est: Pulsus autem continui nomine eum hęc subintelligimus, cujus systole, ac diastole æqualibus temporum spatiis continuè fiunt: quo sensu, sanis æque, ægrisque communis est, hoc tantum discrimine, quod elatior in his, si præsertim febris adfuerit, remissior sit, atque æquabilior in istis: ejuscemodi autem venæ micatio, quavis facilè, ab humore quovis obvio, obstructione intercipitur, unde & interceptus, seu interruptus dici poterit duplici omnino sensu, vel ob minorem solito

solito impulsum, vel ob nimis diuturna micationum intervalla: quoties autem priore sensu Pulsus inæqualis fit, imminui sensim, atterique ægrotanti vires certò Scias; hinc itaque pro ratione morbi, & temperamenti majus, minusve periculum pronuntiabis: si enim à fame tantum diuturniore *Micatio* forte elanguerit, ab assumpto statim alimento robustior evadit: at quando elatiorem, ut contingit in febribus, Pulsum, humilior exceperit, æquivocum boni Scilicet æque, atque mali omen est: quid igitur reipsâ præfagiat, prudentis medici est ex omnibus adjunctis discernere: jam cum sensu posteriore quædam micationum interruptio fit, periculosæ plenum opus alex medico incumbit: vel enim mors in propinquo est, si præsertim virium à prævio morbo attritio præcesserit, vel subitum animi deliquium, paralyfis, Apoplexia, Carus, Coma, aliive id genus, morbi imminent: hæc enim *Pulsûs* quasi statio, obstructos

D 2

.plerof.

plerosque Microcosmi aditus, viaeque significant, quæ ni quantocyus *deobstruentibus* patefiant, inopinatam ægroto in momenta suffocationem minantur: hujuscemodi, quos Splen divezat, patiuntur sæpe venæ micationem: in quibus tamen ni febris, Catharrus, aljave quæpiam mala ingruant, periculi fere omnis expers est, licet dolorem, animique perturbationem comites interdum habeat. Si autem interruptio non continua, sed per intervalla tantum, restituto scilicet identidem sibi Pulsu contingat, Remedii leniter deobstruentibus eget æger, quibus capax adhuc luctæ natura roboretur: quoties autem exiguis tantum temporum intervallis micationis interruptio fit, quamvis præsens periculum non adsit, negligentius se medicus gerere non debet, quod mutatio *repentina*, quæ remediorum omnium opportunitatem præoccupet, contingere possit: quod quidem non temere sed experientiâ doctus, & conscientia

tia

tiâ tactus dico: evenit enim aliquando ut quispiam meæ commissus curæ, sed leni in speciem morbo laborans præter meam & omnium opinionem spiritum emiserit, cum nullum tamen instantis fati indicium præluxisset: valebat siquidem viribus, omniaque vitæ munia sanorum instar peragebat, nullique, nisi sibi ipsi, & mihi æger videbatur, quod ex Pulsu exiguis intervallis interrupto subodorabar; quamvis nihil admodum finistri inde omnis metuerem; sed venæ motus repente adeo immutatus est, ut vix decies intra primum horæ minutum vena micaret, ac tandem, extremis etiam, ut tum fit, sed frustra adhibitis remediis, unâ cum vitâ micare desierit. Felicitus mihi, quia diligentius omnia examinaram, nihilque neglexeram, Alexandri Hendersonii pii doctiq; Ecclesiæ Anglicanæ sacerdotis curatio successit: is eò debilitatis processerat, ut nec incedere, nec gradus ad cubiculum conscendere posset, intumescantibus interea cruribus,

bus, reliquisque deficientis oppressæque naturæ signis adeo jam manifestis, ut quibus notus erat, curandum minimè sperarent : quæcumque autem extrinsecùs apparebant, minorem mihi metum, quam ipsa Pulsûs interruptio, creabant : quem tamen, interim metus mei causâ, homini quod timidior videretur, dissimulata, conveniente Diætâ, aptis Catharticis, decoctisque Armoraciæ, vinoque chalybeato ex peculiari præscripto meo pristinæ valetudini ita restitui, ut jam sanus, alacerque, quocumque negotia vocant, etiam pedes ire possit.

S E C T. III.

Pulsus intensus, Pulsus remissus.

Pulsus intensus duplici omnino sensu dicitur, vel quia arcûs instar tenditur, vel quia multiplicatis in
momenta

momenta pulsationibus, caloris, reli-
quarumque qualitatum instar quasi
intenditur : utrovis autem modo u-
surpetur, intemperiem non levem sig-
nificat : priore enim sensu intensio o-
ritur à nimiâ musculorum, arteriarum,
venarumque turgescentiâ : quâ fit ut
diastole tactum pressius solito afficiat :
posteriore sensu à nimia pulsationum
multiplicitate, seu frequentiâ existit :
ut enim multi sibi invicem additi ca-
loris gradus intensum calorem effici-
unt, ita supervenientes sibi nullo fere
temporis intervallo micationes, seu
Pulsationes, quamdam quasi Pulsûs
intensionom Gignunt: contraria autem
remissio contrariis omnino modis con-
tingit: remittit enim sese Pulsus, cum
non adeo tenditur, aut tactui potius
non adeo obtenditur, vel cum rariores
quamvis æque forte validæ, fiunt Pul-
sationes : de utroque autem Pulsu op-
posita omnia pronunciamus : prior
enim in sanis sæpe, ægrisque semper in
calido febris paroxismo percipitur,

posterior rariùs in vegetis, morboque
omni liberis, nisi peculiaris quædam
temperamenti adfuerit debilitas, re-
peritur: prior in sanis ab ingurgita-
tione, ciboque nimio, posterior à fame,
prostratisque jejuniò viribus oritur:
priorem in ægris gignit turbator hu-
morum præter morem fermentatio,
posteriorem, aut morbi recessus, aut
virium nimia ex morbo acutiore at-
tritio: quocirca morbis in acutis Pul-
sus remissior, intensiore, meo quidem
judicio, aliquando periculosior est:
quamdiu enim intensio perseverat, vi-
res adhuc supersunt, quarum, & re-
mediorum ope victoriam meritò
speres: quando verò præviâ ex mor-
bo spirituum consumptione remissior
percipitur *Micatio*, metuendum omnino
est, ne hæc remissio non recedentis mali,
sed deficientis vitæ postrema quasi
palpitatio sit: quâ quidem subitâ Pul-
sûs quasi fatigati remissione insigniter
deceptum haud ita pridem quempiam
scio: restitutum is optimis remediis
suis

suis ægrum summis in angustiis prope miraculo identidem asserebat, qui tamen mox emissio spiritu, humanâ omni infirmitate liberatus est ; quod, ut ego quidem ex assumptorum medicamentorum, Chymica autem erant, naturâ, conjiciebam, superstites, quæ perexiguæ erant, vires, spiritûsque nimia calidorum spirituum dosis extinxisset. Cæterum plus vice simplice observatum à me est, eos etiam qui integra fruuntur valetudine Pulsûm pati per intervalla æquo mitiorem, vel ob inediam diutius toleratam, vel ob spiritus nimio corporis labore consumptos, vel denique ob constantem cogitandi, meditandique seriam consuetudinem : quibus, virium, assumpto cibo, refocillatione facilè micatio integra restituitur. Cæterùm quod ad Pulsûm intensum ab insolitâ Pulsationum multiplicitate natum attinet ; quod & fortier, & frequenter tactum feriat, maximè turbatum intus, confusumque humorum motum, atque ip-
sam

sam morbi plerumque exacerbationem, statumque indicat, ex quo declinatio brevi, vel in pejus, vel in melius expectanda est : quare omnium tum horarum medicus sit, oportet, hoc est omnem tum artem adhibeat, ne quid tanto in discrimine aberret, effati semper hujus memor peccata omissionis leviora esse peccatis commissionis. Natura enim hoc in casu aliquamdiu colluctata cum hoste, innatâ sibi virtute triumphat; parcè itaque, & cautè medicamenta ægro, hoc in statu, constituto præscribat : eum enim sanioris judicii homines medicum præstantiorem reputabunt, non qui magno remedium apparatus, sed qui paucissimis, iisque tantum necessariis morbum profligarit.

SECT.

SECT. IV.

Pulsus profundus, Pulsus superficialis.

PUlsum superficiale voco, quem non nisi leni contactu, ac quasi superficiali, profundum verò quem pressiore tantum percipimus: prior plerumque reperitur in iis qui ad illud propius temperamentum accedunt quod *ad pondus* vulgò dicitur: cum enim liberrimo in his motu sanguis circumferatur, musculique, arteriæ, atque venæ expeditissimè moveantur, extimas validiùs partes arteria ferit: hæc tamen impressio ob summam spirituum à tenuitate pernecitatem ab eo non percipitur, qui fortiore venam contrectatione premit: in hujuscemodi itaque venæ micationem circa jugulum, temporaque faciliùs, quam alibi sentimus: quod qui minùs norunt, pessimi

peffimi ominis loco habent, cum tamen extrema hæc, ut ita loquar, ac quasi superficialis venæ micatio eo tantum sensu finiftri quid portendat, quod constitutam jam in summo gradu valetudinem indicet, è quo quis nisi in ægritudinem deturbari nequit: hujusmodi porro Pulsus in omnibus reperies, quos Galli, *sans soucy* hoc est curis omnibus liberos vocant: de hilari itaque animo, nulloque negotiorum æstu, turbato hinc pronunciare, nec abs re, nec imperitè poteris. Jam *Pulsus ad profundum* quod attinet, & gravia, & præsentia mala, non nisi præsentibus remediis tollenda denotat: in quocumque enim *profundiorem* perceperis *Pulsus*, hunc pronuncia audacter, atque omnis erroris securus, variis tum corporis, tum animi pathematis affligi: huic enim aut *tardante senectâ sanguis habet*, aut obstructis, vario, noxioque humore meatibus, alicubi, præsentissimo Microcosmi periculo stagnat. Quare profundius vena
micat

micat his fere semper, qui aut asthma-
te laborant, aut caro, Apoplexia, Co-
mate, Lethargo, Hydrope corripun-
tur : hos enim morbos, atque, id ge-
nus, alios ab impedito, ultro citroque
commeatu proficisci nemo nescit : con-
tingit tamen non rarò profundus iis
Pulsus quos nihil horum vexat : sed
tum gravis plerumq; ob curas animus,
ac quasi ad se reductus est:metus enim
in his futuri, contractaque ex præterito
tristitia, horum spiritus, motusque
omnes intrò sæpe cogunt, contrahunt-
que. Senioribus itaque, atque ætate
provectoribus *profundius* micare so-
let Pulsus, quam florentibus ætate, aut
junioribus. Quoties autem graviori
quis morbo corripitur, si præsertim à
Melancholiâ originem duxisse is videat-
ur, accuratior *Pulsus* ratio habenda
est : profundior enim si fuerit Pulsatio,
periculum non leve imminet ob op-
pressas variâ obstructione vires; &
quamvis febris tum omnis abesse vi-
deatur, cave propterea securus obdor-
mias,

mias, aut negligentius te circa ægrotum geras: præterquam enim quod interna sæpe febris intus se contineat, subito sæpe opprimitur æger, aut quadam lymphæ in Thoracem metastasi, aut repentino, præ debilitate, deliquio vivis excedit: quare, Cardiacis, aperientibus, idoneisque, & fortioribus etiam, si videatur, Catharticis extricanda quantocyùs hoc in casu natura est, ne sibi derelicta fatiscat. Nullum autem, ubi hoc symptoma ingruit, efficacius venæ sectione remedium comperi, in iis præsertim, quos florida adhuc ætas beat: quamvis ratum in genere fixumque haberi possit aptis, ægrum, *aperientibus*, aut lenioribus etiam per intervalla Catharticis illico sublevandum, quoties hoc in venæ micatione symptoma elucescit.

SECT.

SECT. V.

*Pulsus Subsultorius, Tremulus,
Erraticus.*

Pulsus nullus incertioris Subsultorio ominis: subsilit enim, & quasi Subsultim vicibus interruptis tactum ferit plurimis ex causis. Venæ si quidem Subsultum gignit interdum violentum corporis exercitium, equitatio puta, cursusque, aut deambulatio citatior, interdum frigus immoderatum, calorque immodicus, sæpe nimia ciborum ingurgitatio, aliquando fames nimia: quæcumque demum extrinsecus, aut intrinsecus contingunt, inordinatam hanc Pulsus micationem inducere possunt: præcipuè tamen ac frequentius obstructi in corpore quæcumque ex causâ humorum commeatus: unde Hystericis sæpe, Splenicis, Ictericis, Hydropicis, Paralyticis ex quacumque

cumque fere in Microcosmo, aut etiam in megalocosmo, mutatione venæ turbatior subsilit: quapropter ægrotantis statum omnibus ex adjunctis diligenter medicus perpendat, priusquam ex inordinato venæ Subsultu duræ propheta fortis sit: licet enim mortem aliquot sæpe diebus antecedit, Sæpius tamen non ex virium attritione, sed ex leni, à lymphâ quapiam, concreto humore, flatu, obstructione oritur, quam ipsa sæpe natura nullis roborata remediis superat: quare cum nec febris, nec Catharrus, nullusve alius ingruit morbus, in tuto, quantumvis vena subsiliat, omnia sunt, nisi majoris cautelæ gratiâ lene quis Catharticum, deobstruensve quodpiam remedium præscribere voluerit.

De Pulsu Tremulo aliter omnino statuendum est: cum enim hic oriatur à fatiscente jam viribus exhaustis naturâ, par prope miraculo curatio futura est: quod idcirco hîc loci addo quia
non

nonnullos quibus vena trepidabat, gyrobatque quodammodo pristinam Scio rediisse ad sanitatem, vel occultarum naturæ virium vi, vel specificorum remediorum virtute. Hoc itaque fere tantum in casu extrema adhibeat medicus remedia, ac dubia etiam potius quam nulla; periculi interim ægrotantem seriò moneat, jubeatque ut ad emigrationem tempestivè se disponat: Hoc enim Medici Christiani officium est.

Quod jam ad *Erraticum Pulsum* attinget, quid reipsâ sit ex ipsâ voce sat elucescit: Quoties enim Microcosmi Machina a diuturniore præsertim morbo dissolvi incipit; hujus dissolutionis, præsens, certissimumque indicium est, erratica, incertaque venæ micatio: Solitis enim tum in locis, aut rarò, aut vix micat; & nunc hîc, nunc illic percipitur, ac diu nusquam: Paulatim siquidem ita Pulsus recedit, ut nullibi nisi forte circa jugulum

E

lum

lum *Temporaeque* tactui quantumvis perito sese offerat: quod cum contingit, paucis plerumque minutis mors abest: saepe enim id non accidit, nisi voce jam sublatâ, sensuque in extremis praesertim artubus omnino desinente: quibus in angustiis nulla amplius medicus remedia nisi frustra praescripserit, quamvis spiritus Cornu cervi, salis ammoniaci, aut etiam sanguinis humani, de quo praecclarus Illustrissimi *Boyllii* tractatus extat, Ita nonnullos aliquando recreaverit, ut ad se quasi resuscitati redierint, compotesque tandem permanserint sui, donec condito testamento haeredibus litium materiam subtraxerint.

F I N I S.